

his peccatis suis emundet, & abluat, & contra omnes demonis insidias poterit defendat, in Nomine Patris &c.
 237 II. Circa Cererum benedictum instruat Confessarius ægrum idem eundem moribundis in manus dari. I. Ut per hunc recitentur, te in fide Catholica mori. II. Ut ostendant se in Christo, qui est Lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, omnem suam spem collocare, adeoque per ipsum ad lucem æternam perventuros. III. Ut recitentur se paratos, velut fideles servos, adventum Domini, aut sicut prudentes virgines, sponsi adventum præstolari. Hanc instructionem Confessarius infirmo præbeat; anrequam Cerere benedicto uti opus fuerit, nec expectet horam ultimam sed quamprimùm propinquum mortis periculum imminere advertit: eundem ægro porrigit, convenientelque affectus suggerat, v. g. Nunc dimitis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace &c. Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte &c.
 238 III. Circa Christi Crucifixi effigiem, Confessarius instruat moribundum, triplicem hujus representationis esse finem I. Ut per eam dæmones repellantur, II. Ut per eam representationem Crucifixi Domini nostri Jesu Christi infirmus animeretur ad patientiam. III. Ut in infirmo excitetur fiducia erga Deum, & Christum; ait enim Sanctus Augustinus: *Inspice vulnera pendens, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgens; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum Corpus expositum ad redimendum.* Circa SS. Nomina JESUS, & MARIA, sciendum, quod his duobus Nominibus (adde etiam tertium S. Josephi, Sponsi Mariæ, & Nutritii Jesu) ægri in morte mirum confortentur, & contra dæmones protegentur: nam omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit. Joelis 2. Tria de his Nominibus Confessarius edocet infirmum. I. Ut ubi in ultimo mortis articulo tristitia, & tentatio molestia fuerit, eandem pronuntiatione horum SS. Nominum mitigare conetur. II. Ut etiam, cum tranquillus est animus, assidue repetat hæc SS. Nomina, jungatque virtutum Theologicarum actus. III. Ut dum infirmus advertit sine vita imminere, hæc SS. Nomina tum pro indulgentiis lucrandis, tum pro solatio, corde saltem, si ore non possit, proferat; ideoque prius hanc gratiam læpè à Jesu, Maria & Josepho exoret.

239 IV. Circa pietas aspirationes moribundo suggerendas sciendum, quod cum nihil magis debeat moribundum, quàm ut inter pios affectus, & suspiria vitam finiat, & dum his occupatur, malignis hostium suggestionibus aditum occludat: quare vel maximè laborare debet Confessarius, ut hac in parte non desit moribundo: sed cum hic plerumque sufficiens non sit ad affectus ejusmodi concipiendos, à Confessario, velut Angelo suo custode terrestri inspiratos accipiat. Ut autem Confessarius fructuose hoc officium præstet, duo specialiter observet. I. Ut eas aspirationes paucis verbis, tractim, articulatè, & interruptè pronuntiet ita, ut iis pretendendis otium aliquod, aut respirandi tempus concedatur. Non ergo infirmi longis exhortationibus aut clamoribus cruciandi sunt, & hoc maximè circa Personas Spirituales observandum est. II. Ut ejusmodi affectus non temerè ex memoria, aut ex libro accipiat, sed prius benedictos, & ad præsentem moribundi statum benè accommodatos habeat: ideò ex moribundo adhuc validiori proderit inquirere, quibus affectibus, & precibus uti consueverit, & maximè moveatur, aut quos affectus, & preces sibi desideret inspirari in agone. Omnes autem affectus eò potissimùm tendere debent, ut infirmus actus virtutum Theologicarum eliciat, veniam culparum deprecetur, contritionem perfectam, resignationem in Divinam voluntatem, & desiderium æternæ beatitudinis eliciat, item actus orationis, gratiarum actionis, pro acceptis per totam vitam beneficiis, humilitatis, patientiæ, &c. exerceat, ac demum SS. Trinitatis, Jesu, Mariæ, Josephi, Angeli custodis, & omnium Sanctorum Angelorum, & hominum auxilium imploret, iisque supremum suum agone ac Spiritum, quàm optime potest, commendet. Confessarius quoque recitet commendationem animæ ex Brevario: quæ est valde efficax oratio ob Sanctitatem Ecclesiæ, ac agonizantem iterum, dato, vel saltem piè præsumpto, (si dare non possit) doloris signo, sacramentaliter absolvat, saltem conditionatè, si forte absolute non possit, qua de causa, juxta supra jam dicta, Confessarius prius instruat infirmum, ut in agone det signum doloris, quo significet, se pro tunc adhuc semel velle sacramentaliter absolvi.

S. IV. Quid observare debeat Confessarius, cum ab infirmo discedit, vel quando hic est sensibus destitutus vel laborat morbo contagioso, vel jam est mortuus?

I. Quatuor Confessario præ agenda erunt, cum ab infirmo discedit. I. Recitet super infirmum aliquas preces, v. g. Psalmum; *Miserere mei Deus*, vel *Evangelium S. Joannis*, vel alias preces. II. Det in manus infirmo Crucifixi imaginem, ut cordi eam imprimat, arque etiam osculetur osculo oris sui, simul dicendo: *O Jesu Dilectissime, Deus cordis mei, obsecro te per quinque Vulnera tua, quæ amore mei suscepisti, subveni famulo tuo, quem tuo pretioso sanguine redemisti.* III. Consoletur infirmum dicendo, se ejus memorem futurum in suis precibus, ac SS. Missæ Sacrificiis, ac etiam curaturum, ut alii hoc faciant. IV. Aspergat eum aqua benedicta, & det ei Benedictionem Sacerdotalem.

II. Confessarius vocatus ad infirmum usu rationis penitentiis destitutum, quærat imprimis ex circumstantiis, an signum aliquod contritionis dederit, vel confiteri petierit, si hoc fecit, absolvatur, etiamsi magnus antea peccator fuerit, si nullus testetur, infirmum talem dedisse signum doloris, aut Confessionis, adhuc talis moribundus (modò constet ipsum Catholicum esse, & christianè vixisse) sub conditione absolvi licitè potest, atque etiam debet, ut habet P. Patritius Sporer Theol. Sacram. p. 30. s. n. 648. quem vide, & quæso, sequere; cerè non penitèbit: potes enim infirmo, cum tali absolute conditione, aperire portam Regni Celorum, qui aliàs forsitan deberet ingredi portam inferni. Ob eandem rationem tali infirmo administrandum est Sacramentum extremæ Unctionis. Vide quæ diximus sess. 4. præced. q. r. n. 95. Infuper Confessarius confugiat ad orationem, simulque etiam domesticos ad eandem pro ægro fundendam adhortetur, uti & ad alia bona opera pro eodem, offerenda Domino Deo.

III. Confessarius ad laborantes morbo contagioso, vel peste. I. Numquam jejunus accedat, sed prius jusculum tumat, vel vinum medicatum ex herba Absinthii, Cardui Benedicti, Rutæ &c. II. In accessu ad infirmum labia, nares, os, & tempora balsamo, vel aceto, vel Theriaca linuat. III. Curet, ut ante ejus ingressum æger in lecto ita componatur, ut commodè confiteri possit, & attendat; ne æger in sua præsentia se multum moveat, aut lectum aperiat. IV. Ab omni contactu ægri abstineat (quod in faminis etiam extra periculum infectionis observet) nec manum salutandi gratia porrigit, nec eundem multùm aspicit. V. Infirmi halitum non excipiat, ideò supra eum se non inclinet, autem ei non admoveat, non ex adverso ægri, sed potius ad latus consistat. VI. Confessionem ita audiat, ut tantùm essentialiter requisita non omitat, & à non necessariis quæst. abstineat. VII. Quando Confessarius se aliqua penitenti aurâ afflatum senserit, sudorifico haustu, vel Theriaca, præsertim *Egrana* sudorem eliciet, & cum sudore venenum propellet.

IV. Postquam infirmus piè in Domino obiit, Confessarius mox in genua procidat, & preces positas in Brevario, & diurnali, post commendationem animæ devotè recitet, & de functum aqua lustrali denuò aspergat. Si domestici gravem mœrorem ob defuncti mortem concipiant, consoletur eosdem, & occasionemumat astantibus revocandi in memoriam, vitæ brevitatem, mundi vanitatem, felicitatem benè morientium. Ipse quoque Confessarius memor sit defuncti, ac pro ipso sua bona opera, orationes, ac memoria in Sacrificiis Missæ offerat. Tandè ubi digressus fuerit, examinet se, quomodo in hoc munere se gesserit, & ipse quoque se excitat ad piè vivendum, ut mortem vitæ similem consequi mereatur, pro qua Dominum Deum quotidie, ter venter, & instanter deprecetur.

CAPUT TERTIUM.

DE INDULGENTIIS, ET JUBILÆO.

Cum juxta Concilium Tridentinum sess. 25. in Decreto de indulgentiis, usus indulgentiarum Populo Christiano maxime salutaris, & Sacrorum Conciliorum Auctoritate probatus, in Ecclesiâ sit retinendus, utpote, per quas penitentiæ temporales pro peccatis jam dimissis remittantur, adeoque penitentibus in Sacro Tribunali, à Confessariis subinde indulgentiarum lucrationes in peniten-

temiæ, & satisfactiones sacramentales salubriter; & merito injungantur, operæ pretium erit, earum notitiam tum Confessariis, tum penitentibus, tum quibusvis fidelibus, in hoc tertio capite breviter, quantum necesse fuerit insinuare. Itaque sit in Nomine Domini.

SECTIO I.

De Indulgentiis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quomplex sit indulgentia?

SUMMARIUM.

- 1 Datur in Ecclesia Thesaurus Satisfactionum Christi.
- 2 Et Potestas dispensandi hunc Theaurum per Indulgentias.
- 3 Quid sit indulgentia?
- 4 Antiquitas indulgentiarum.
- 5 Indulgentia alia est plenaria, alia partialis.
- 6 Quid sit indulgentia plenissima, in forma Jubilei &c.
- 7 An habens effectum ad veniale peccatum possit lucrari indulgentiam plenariam?
- 8 Cur indulgentia plenaria addatur partialis?
- 9 Quid intelligatur per dies, & annos indulgentiarum?
- 10 Indulgentia alia est perpetua, alia temporalis.
- 11 Alia est personalis, alia realis, alia localis.
- 12 An indulgentia Ecclesiæ concessa extendatur ad ejus Cœmeterium?
- 13 An diruto templo, vel Ecclesiâ, pereat indulgentia ipsi concessa?
- 14 Notanda circa indulgentiam realem, qualiter pereat perente re, cui est annexa?
- 15 Quid intelligatur nomine Rosarii, Coronæ, aut Psalterii?

ASSERTIO I.

Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debita peccato personali, quoad culpam dimisso, per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, extra Sacramentum facta, virtute clavium; Indulgentia dividitur in plenariam, & partialem; in perpetuam, & temporalem; in personalem, realem, & localem. Est Communissima Theologorum.

S. I. Indulgentia quid sit?

2. I. DARI in Ecclesiâ Catholica Thesaurum spiritualem satisfactorium, docet Clemens IV. Pontifex Maximus in Extravag. Unigenitus, de penitentiis, & remissionibus, de Christo Domino Salvatore nostro Dilectissimo sic loquitur: *Unigenitus Dei Filii de sinu Patris in utero dignatus est descendere Marris, in qua, & ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id, quod fuit permanentis, & quod non erat, assumens, ut haberet, unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri.* Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub lege, natum ex muliere, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem reciperent filiorum; ipse namque factus nobis à Deo Sapientia, Justitia, Sanctificatio, & Redemptio, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna Redemptio inventa. Non enim corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius Agni incontaminati, & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, que tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè; velut quoddam profuvium noscitur effudisse, ita ut à planta pedis usque ad verticem capitis, nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua; tante effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit volens suis Theaurizaræ filius Pater, ut sic sit infirmis Thesaurus hominibus, quo, qui usi sunt, Dei amicitia participes sunt effecti. Quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cæli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debite, tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè penitentibus, & confessis: misericorditer applicandum. Ad cujus quidem Theauri cumulus Beata Dei Genitricis, omnium Electorum

à primo jussu, usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur, de cujus consumptione, seu minutione, non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quàm pro eo, quod quævis plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Hucusque Clemens IV. hoc notato.

II. Suppono tanquam certum de fide, ac definitum in Concilio Tridentino sess. 25. in Decreto de indulgentiis, dari etiam in Ecclesiâ Catholica potestatem dispensandi hunc thesaurum per indulgentias ex illis Christi verbis, *Matth. 16 Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis*, per quæ verba Christus Dominus contulit B. Petro, & ejus in officio Successoribus, Potestatem solvendi vincula peccatorum; ergo multò magis pœnarum temporalium ex culpis jam dimissis relictarum, per indulgentias; adeò ut solus summus Pontifex habeat potestatem concedendi indulgentias plenarias pro vivis, & pro defunctis jure ordinario ex c. quod autem de penitent. & remiss. Episcopi verò ex jure communi possunt unius anni indulgentiam concedere tantùm in die Dedicacionis templi, & 40. dierum in anniversario dedicacionis, ac aliis temporibus, & tantùm pro vivis juxta *La Croix l. 6. p. 2. n. 1348.* quam potestatem utpote officio suo annexam, possunt etiam aliis delegare. Hoc supposito dicimus.

III. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debite peccato personali quoad culpam dimisso, per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, extra Sacramentum facta virtute clavium. Communissima Theologorum, explicatur, dicitur I. *Relaxatio pœnæ temporalis*, quia per indulgentiam non remittitur culpa, sed pœna tantùm temporalis, restans hic in hac vita, vel ibi in purgatorio luenda. Etenim remissa culpa non semper remitti totam penam, patuit in Adamo, Davide, & aliis peccatoribus, & constat ex Concilio Trident. sess. 6. Can. 30. definitum: *si quis post acceptam iustificacionis gratiam, culibet peccatori penitentem ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvende, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequàm ad regna Celorum aditus parere possit, anathema sit.* Dicitur II. *Debita peccato personali*, quia peccatum originale, ejusque pœna remittitur per Baptismum. Dicitur III. *Per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum* ut ostendatur, istam relaxationem non esse omninò gratuitam, sed habere annexam solutionem pœnæ æquivalentem. Additur IV. *Facta extra Sacramentum virtute clavium*, quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis Ecclesiæ (non ordinis) in foro externo, Papæ compete in jure Divino; Episcopis verò, & aliis jure humano Ecclesiæ, videlicet ex concessione Papæ, ut verius docet Suarez disp. 55. sess. 2. & Herincx de Sacramento Penitentiae disp. 4. q. 7. n. 59. Ratio est, quia, juxta dicta in Supplemento Theol. Decalogis c. 1. sess. 3. q. 1. nu. 146. Episcopi non habent potestatem legislativam Ecclesiasticam jure Divino, sed tantùm jure humano Pontificio; ergo nec habent jure Divino potestatem concedendi indulgentias, sed tantùm Pontificio. Ex dictis

IV. Inferes contra Hæreticos, indulgentias, & indulgentiarum usum non esse noviter ab Ecclesiâ inductum, siquidem earum usus in Ecclesiâ Christi sit antiquissimus; nam imprimis multi interpretes, & Theologi apud Herincx cit. n. 44. docent, S. Paulum 2. ad Corinth. 1. de Indulgentiæ. Earum potestatem etiam usurpassè legitur Innocentius III. ante celebrationem Concilii Lateranensis, concedens indulgentias plenarias pro auxilio terræ sanctæ, & ante hunc Palchalis II. in Concilio Lateranensi, Anno 1116. concedens indulgentias quadraginta dierum iis, qui ad Concilium venerant, & ante hunc Gregorius VII. frequenter in suis Epistolis concedens indulgentias, & ante 800. annos Sergius II. & antea adhuc Leo III. (qui sedere cepit anno 795.) Teste S. Ludgero in Epistola, quam refert Surius 10. 2. die 7. Martii, post vitam S. Sverberti e.g. Indulgentias quoque in diebus rationum principaliter esse concessas à Gregorio Magno, testis est D. Thomas 4. d. 20. q. 1. art. 3. quæstionum. 2. Vide Bellarminum supra p. 1. l. 2. c. 20. & Suarez d. 49. sess. 2. Denique nunquid jam ante 500. annos fuit portentosa illa indulgentia S. Mariæ Angelorum seu Portuncule, à Christo concessa Seraphico Patri nostro S. Francisco, sub ratihabitione, sive Confirmatione Romani Pontificis, quæ pluribus miraculis fuit confirmata, & mirabili populorum concursu usque hodie stabilitur, de qua honorificam mentionem faciunt non tantùm probatissimæ Historiæ, sed etiam ipsi Romani Pon-

